

sticis de impossibilitate. Curam ille
fidenter est aggressus, opimæ inhians
prædæ, at haud ponderans, quid Ill.
Viri humeri valeant, quid ferre re-
cusent, primo die clystima ex Hiera
Logad. bened. laxat. a. ʒj. injectum,
sequenti matutina pil. coch. fœtid.
an. ʒij. oblata. Testor Deum &
meam conscientiam, me tum Mini-
stro in officinâ illas præparanti dixisse
(quo tum fortè concesseram) eas
sat validas, si rustico robusto, nedum
Ill. Viro morbo chronico & senili
ætate, viribus attritis, exhibendæ,
vereri me, ne assumenti sint funestæ,
à quorum enormi operatione in
tantum ille enervatus, ut eo die non
parum de vitâ periclitatus, sed viri-
bus indies magis labascentibus, post
quadriduum expiravit. Idem ex ore
Ill. ac Gener. Dn. Præsidis intelle-
xi, te conceptum illud vehementer
laudasse, cum tamen fuerit panè ex-
temporaneum & à destituto omni-
bus libris, (quos Alphonsus Rex
Neapolitanus, optimos Consiliarios
vocare est solitus) exaratum. Fortè
præstat cum Biante Philosopho, o-
mnia nostra nobiscum portare, &
cum Aristippo, factò etiam libro-
rum naufragio, si emergere & ena-

tare contigerit, animum non minus
politiori literaturâ, retinere excul-
tum.

Reinerus Solenander in suis con-
siliis refert, multos in uno latere re-
solutos, si à principio fortiora exhi-
bita purgantia, humoribus exagita-
tis, etiam in altero, paralyfi tentatos,
& tandem extinctos, quas tamen su-
perfluitates, si mitius tractati, Na-
tura, progressu temporis, concoque-
re, evincere ac superare potuisset.
Indubium, quin Ill. Viro, si beni-
gniora adhibita, diuturniore hujus
lucis usurâ frui licuisset. Ex isthoc
subjecto patescit, Cratonis edictum
perquam verum, scamoneata &
ex colocinthide concinnata phar-
maca, senibus præsertim delicatiori-
bus, esse reformidanda. Exin cau-
tius ac circumspèctius proceden-
dum, si famæ consulendum.

Hæc fuit Ill. Viri clausula, tibi no-
tificanda, ut si cum Ill. ac Generoso
Dn. Præside, inciderit conferendi
occafio, exactum tuum iudicium in-
terponere, & æquum arbitrium age-
re valeas. Hisce me in album tuo-
rum amicorum referendum, crado,
atque protectioni divinæ te com-
mendo.

CONSULTAT. IV.

*De Apoplexiâ gravi ad Cl. Dn. D. Gutmannum &
Dn. D. Jenischium, Medicos Augustanos.*

Juve-

Uvenis 26. annorum, Natura melancholica, fat corpulentus, facie livida, capillis & barba nigra, frigido ac humido cerebro catarrhisque obnoxio dotatus, crebris computationibus deditus, eas ad multam usque noctem continuando sapius, præcalida æris constitutione, Equo succusorio insidens, exspatiatus, in viâ apoplexiæ fat valida est correptus, quæ in totius lateris sinistri paralylin exquiritam terminata, omni sensu ac motu eò loci privatus. Ut autem magis prospera succedat medela, prius causas morificas indagare, exin methodum curandi venari oportet. Cum magna sit inter Medicos concertatio de apoplexiæ loco affecto, aliis eâ provenire ab obstructione ventriculorum cerebri à crassis humoribus pituitosis, vel melancholicis concitata dictitantibus, aliis constipationem reti admirabili afflignantibus. Neutra opinio simpliciter probanda: non illa, cum apoplexia sit sensus ac motus privatio & ~~non~~ nervorum, ij autem non emergant ex ventriculis cerebri, præsertim anterioribus, sed ipsorum principium consistat in basi cerebri, exin spiritus animales in omnes nervos influunt, istis viis à crassis humoribus vel obstructis, vel compressis, spiritibus animalibus influxus, aut transitus denegatur. In apoplexiâ

forti, si homo subito corruat mortuus, viæ illæ sunt oblita crassis ac lentis humoribus tenaciter adherescentibus, ut excuti & in nervorum substantiam se insinuare, & per spinalem medullam descendere nequeant. Si apoplexia debiliior desinens in paralylin, provenit potissimum à colluvie ferosâ mucoso humori confusâ, dum ex sinibus cerebri anterioribus in posteriores, per spinalem medullam decurrit, & nervorum substantiam subiens obstruit vel comprimit. Quoad contextum retiformem etsi haud negandum, quin eò à crassis humoribus facto, aut compresso, homo mortuus concidat, intercepto affluxu spirituum vitalium, è quibus spiritus animales generantur, sed casus ille est rarissimus. Etsi sanguis, qui in cerebri basin (prout Fernelius observavit) ex oculi ictu procubuit, aut pituitosi humores ibidem hærentes, ~~non~~ apoplecticum caularit, non tamen obstruendo plexum retiformem, quin potius principium nervorum comprimendo id contigit, & raro evenit. Si semper obstructio plexus choroidis causa apoplexiæ, ea nunquam desineret in paralylin, quæ est affectio nervorum, non arteriarum. Cum autem plerunque succedat paralylin, indubium argumentum, materiam crassiorem, (prout Anatomici aquam perspicuam, sed glutinosam in ventriculis cerebri

bri

bri deprehenderunt,) ex ventriculis cerebri anterioribus in medium, & tandem in cerebellum devolutam paralyfin concitasse nervis obléptis, quo minús spiritibus animalibus pateat transitus. Quoad nostrum patientem paralyfi detentum, cum ea sit symptoma actionis læsæ facultatis animalis sensus & motus aboliti, morbum habebit præcursores, qui tū in intemperie, tum in viâ, obstructione scil. hæret ac consistit. In cerebro intemperies frigida ac humida (id actu frigidum sentit) prædominans, colluviem excrementorum pituitosorum produxit, quæ indies magis coacervata, tandem magno impetu in cerebri sinus devoluta, præsertim ad ejus basin pertingens & viam spiritibus animalibus interceptans, apoplexiam invexit, post autem robore facultatis expultricis ad nucham præcipitata ac per spinalem medullam deorsum fluens, nervorum substantiam potosam obstruens vel comprimens, paralyfin concitavit, & sensum ac motum brachio & pedi sinistro ademit, utriusque sortis nervis affectis, tum in cutim dispersis læ sensum impertientibus, tum in musculos insertis & motum præstantibus. *Patiens autem noster gravissimos in victus ratione commisit errores, vinis generosis Austriacis & Italicis in sat magnâ copâ haustis, ut haud mirandum, si vini vapores cerebrum impetentes, vi*

suâ Mercuriali seu narcoticâ, debilitarunt, sed & crebris ac multis exhalationibus repleverunt, exin vapores in cerebro vel ratione frigiditatis condensati, sicut in mediâ ætatis regione nubes concresecunt, vel propter cranii densitatem transpirare nequeunt, ejus parietibus adhaerentes, ceu guttæ ex aqua in ollâ ebulliente, operculo affixæ, hinc indies magis coacervati, tandem coagulati, qui cum jam antea essent ad fluxum dispositi, tuar à calore Solaris, tum Equi successione exagitati ac soluti, in cerebri ventriculos irruentes, inprimis ad posticam cavitatem pertingentes, spiritibus animalibus liberum transeursum interceperunt, & apoplexiam cum succedentâ paralyfi induxerunt. Hæc cum ita sese habeant, jam disquirendum, utrum spes concipienda, de ægro restituendo, cum adhuc sit in ætate juvenili constitutus, siquidem salutaribus consiliis locum dederit (prout omne obsequium pollicetur,) non dubitarem, quin amissam recuperare liceret sanitatem; cum hætenus is fructus à remediis à me subministratis prodierit, ut non modo sensus in brachio & pede affecto revocatus, sed & pedem elevare, extendere & contrahere, & pro rei conditione ac statu, sat commodè incedere ac progredi caperit, tam brevi temporis spacio, eò major fiducia, quin propediem sit convaliturus.

Quoad

Quoad methodum medendi, cum omne malum dependeat, à frigida & humidà tum cerebri, tum nervosi generis intemperie, & à serosis cum mucilagine conjunctis humoribus, obstructions procurantibus, illa erit corrigenda per calefacientia & exiccantia, hi eliminandi per purgantia & hydrotica.

Hæc à me hæctenus fuere ordinata pharmaca. Quamprimum ad ægrum accessit, curavi injici clystima, ex dec. sal. beton. stæch. arab. centaur. min. rut. anth. cham. sem. anis. fanic. carv. dec. ad. med. In col. ꝛx. dil. El. Hjer. dicarh. bened. lax. tereb. vino lot. mel. anthos. ol. cham. & rut. bis reiteratum. Egregia operatio secuta, ejectis copiosis excrementis phlegmaticis. Post præscripti hydromel. laxat. pro Menf. ex R. polyp. q. Enul. ir. Flor. Garyo. herb. sal. hyl. beton. abs. rom. card. ben. chamæp. meliss. anth. fol. sen. s. s. sem. chart. turb. al. Gum. hermodact. agar. rec. tro. cum cinnamo. & gal. minor. alternis diebus dimidium quart. sumplit, largâ succedente evacuatione, cum *in 40219*.

Ad cerebrum corroborandum, & dolorem capitis demulcendum, de magnis punctiõibus erat querela & gravedine, ut vociferari coactus, curavi inungi futuram coron. & tempora, ol. Nuc. mus. express. ad Bals. succ. & major. ad aliq. gr. ambr. & mos. exin etiam dormire cepit,

antea insomnis. Cuc. ex flor. major. sal. anth. stæc. beton. cham. lig. alo. vernic. suc. al. Gall. mus. Us. masticat. ex mast. pyr. & agar. cum catne paf. sid. f. tro. Rot. cephal. ex sp. diamb. diamos. d. pliris archont. ol. still. suc. Nuc. mus. cum sac. diss. in aq. ceras. & sal. f. conf.

His trium septimanarum intervallo tantum profeci, ut ambulare valeat, at brachium adhuc immobile perdurat.

Ad reliquias extirpandas, validioribus opus videtur præsidii, ordinando Extr. pil. coch. aur. s. quibus, corpore sufficienter evacuato, ad topica & hydrotica devenirem.

Probarem unguentum ex ansero rosto fæcto, frusto carnis vulp. ping. galb. serap. ammon. bdel. cast. myrr. lumbr. ter. sal. rosm. gr. Juniper.

Vel ung. cujdam mulieri à Valeriola ordinatum lib. 1. obs. 3. cujus medio pridem cujusdam sinistrum brachium resolutum habentis ut instar baculi dependeret, intra paucos dies integritati motus restitui.

Etsi alii commendent Elix. vitæ & Bals. destillata, mihi tamen sunt suspecta, quod verendum sit, ne tenuioribus partibus resolutis, vi ignea crassiores magis indurescant, post malum contumacius evadat, nec accommodatis amplius remediis cedat.

Aqua arthritica magis locum habere videtur, in parali ex colica &

H b

para

paralyfi ab humoribus tenuioribus
ferosis concitata, qui magis resolu-
biles, quam pituitosi ac mucilagi-
nosi.

Quamvis nullis hæcenus usus
sint unguentis, idque studio ac datâ
operâ, cum æger sit promptus ad
observanda præcepta medica, diebus
canicularibus ad finem decurrenti-
bus, æstuque remittente, regiâ viâ
incedere, atque decoctum ligni san-
cti cum salsa paril. administrare con-
stitueram, ideoque ab unguentis ab-
stinui, ne pori seu meatus nervorum
oblitii & pinguedine oppleti, impe-
dimento existant, quo minus post
materia morbifica, nervorum sub-
stantiæ inhærescens, per haustus su-
doriferos, elici queat. Salsam paril.
adjunxi cum sit tenuium partium,
quò crassiorem materiam nervoso
generi impactam eò magis pollet
resolvere.

Post octiduum ab haustu istius
decocti, tum haud foret inconve-
niens, finito sudore unguento ex an-
tere rosto, quo principium spinæ

dorsi cum brachio affecto illinen-
dum: nam pedem absque horum
adminiculo suum facturum officium,
judico.

Siquidem malum hæc quantum-
vis accommodatis remediis non ce-
deret, admodum foret consultum,
si æger adventante vere in Thermas
Pipernias ablegaretur. Antè paucos
annos quidam Italus in lectulo de-
cumbens per bajulos ex Italiâ eò de-
latus, per plures annos sideratus, in-
tra 14. dies balneando tantum pro-
fecit, ut non modo sua munia tite
obire potuerit, sed & Equo vectus
domum salvus ac incolumis re-
dierit. Thermæ ferinæ æquæ cele-
bres.

Hæc mihi obvenere, quæ in gra-
tiam ægri, meam efflagitantis censu-
ram, Medicis Augustanis communi-
candam (sualu cognatorum ibi dimo-
rantium) literis consignarem. Fa-
xint superi, ut salutaria contingant,
& ad optatum sanitatis portum per-
ducant.

CONSULTAT. V.

*De casu Pleurítico & asthmatico admodum Reverendi &
Nobiliss. Dn. Henrici de Welden / Canonici Au-
gustani & Elvvacensis.*



Um T. N. aliquandiu di-
versis gravioribus sympto-
matis obnoxia, sed jam be-
nedictione & Gratia divi-

nâ aspirante, ab iis levata, optatam
recuperavit valetudinem, & à me
petierit, ut illa literis comprehensa
communicarem, quo si Ingolsta-
dium